

constat, primum baptismum in eo Judæo fuisse validum, quanquam sine recta intentione, ac fortasse sine debita fide ad illum accessisset. Congruentiæ ad hanc veritatem confirmandam eadem afferri possent, quæ de ministro adductæ sunt disput. præced. Et optima est, quia aliud est sacramentum, aliud effectus sacramenti; et sacramentum de se prius est; ergo non impeditur propter dispositionem contrariam effectui, si sacramento ipsi contraria non sit. Item, talis dispositio ad effectum non est causa sacramenti in ullo genere; ergo, etiam si deficiat, concurrere possunt omnes causæ necessariæ ad conficiendum sacramentum; ergo perficietur sacramentum. Tandem inductione constat, tria sacramenta initerabilia non esse iteranda, eo quod indigne suscepta sint. Atque idem est de matrimonio, et extrema unctione, quatenus aliquo modo iterari non possunt; illud, vivente utroque conjuge, hoc durante eadem ægitudine eodemque statu ejus. De Eucharistia non oportet probationem addere, cum sit sacramentum permanens; neque enim Christus discedit, quando ab indigno sacramentum sumitur, ut infra suo loco latius dicemus. Quod vero secunda sententia objiciebat, Deum non conferre sua dona indignis, universe intellectum falsum est; tanta enim est Dei bonitas, ut omnibus se communicet, quantum in ipso est. Adde vero, per se instituta esse sacramenta, ut homines illis utantur; Deum autem juste permittere, ut mali interdum eis abutantur; noluit tamen tunc sacramenta esse invalida, quia oportuit sacramenta esse certa et universalia; unde etiam fit, ut aliquando prosint eis, qui indigne illa receperunt, si postea resipiscant.

7. Ad Augustini vero testimonium, quod ibi asserebatur, respondetur in primis, illum in eo capite magis dubitando, quam asserendo procedere. Deinde dicitur, non requirere fidem simpliciter, id est, supernaturalem, quæ infidelitatem et omnem hæresim excludat; sed aliquam fidem, id est, aliqualem credulitatem, quanta nimirum necessaria esse potest ad voluntatem suscipiendi sacramentum habendam. Ad Cyrillum respondetur, cum inquit hæreticos rebaptizandos, siquidem prius illud non erat baptisma, hæc verba indefinite, non universaliter esse intelligenda, de his nimirum, qui in ipsomet baptismi usu hæretici sunt, et veram formam, vel materiam baptismi corrumpunt; nam si non in-

terveniant hujusmodi defectus, sola hæresis suscipientis non sufficit, ut sacramentum nullum sit.

QUESTIO LXV.

DE NUMERO SACRAMENTORUM, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de numero sacramentorum.

Et circa hoc quærentur quatuor.

1. Utrum sint septem sacramenta.
2. De ordine eorum ad invicem.
3. De comparatione eorum.
4. Utrum omnia sint de necessitate salutis.

ARTICULUS I.

Utrum debeant esse septem sacramenta Ecclesie (1. dist. 4. quest. 1. art. 2. et 4. cont., c. 58. et 1. ad Cor. 1).

1. Ad primum sic proceditur. Videtur, quod non debeant esse septem sacramenta. Sacramenta enim efficaciam habent ex virtute divina et ex virtute passionis Christi. Sed una est virtus divina, et una Christi passio; una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos, ut dicitur Hebr. 10. Ergo non debuit esse nisi unum sacramentum.

2. Præterea, sacramentum ordinatur contra defectum peccati. Hic autem est duplex, scilicet, poena et culpa; ergo sufficeret esse duo sacramenta.

3. Præterea, sacramenta pertinent ad actiones ecclesiasticæ Hierarchiæ, ut per Dionys. (cap. 2 Eccl. Hier.) patet. Sed, sicut ipse dicit, tres sunt actiones Hierarchiæ, scilicet, purgatio, illuminatio, et perfectio. Ergo non debent esse, nisi tria sacramenta.

4. Præterea, Augustinus dicit contra Faustum (lib. 49, cap. 43, a medio, tom. 6): Sacramenta novæ legis sunt numero pauciora, quam sacramenta veteris legis. Sed in veteri lege non erat aliquod sacramentum, quod responderet confirmationi et extremæ unctioni. Ergo neque hæc debent numerari inter sacramenta novæ legis.

5. Præterea, luxuria non est gravius inter cætera peccata, ut patet ex his, quæ in secunda parte dicta sunt (2. 2, q. 154, art. 3). Sed contra alia peccata non instituitur aliquod sacramentum. Ergo neque contra luxuriam debuit institui sacramentum matrimonii.

6. Sed contra videtur, quod sint plura sacramenta. Sacramenta enim dicuntur quasi quædam sacra signa. Sed multæ aliæ sanctificationes fiunt in Ecclesia secundum sensibilia signa, sicut aqua benedicta, consecratio altaris, et alia hujusmodi. Ergo sunt plura sacramenta, quam septem.

7. Præterea, Hugo de S. Victore (lib. 4 de Sacr., part. 12, c. 10) dicit, quod sacramenta veteris legis fuerunt oblationes, decimæ et sacrificia. Sed sacrificium Ecclesie est unum sacramentum, quod dicitur Eucharistia. Ergo etiam oblationes et decimæ debent dici sacramenta.

8. Præterea, tria sunt genera peccatorum, originale, mortale, et veniale. Sed contra originale peccatum ordinatur baptismus, contra mortale autem poenitentia. Ergo deberet esse aliud præter septem, quod ordinetur contra veniale.

Respondeo dicendum quod, sicut supra dictum est (quest. 62, art. 3, et quest. 63, art. 2), sacramenta Ecclesie ordinantur ad duo, scilicet, ad perficiendum hominem in his, quæ pertinent ad cultum Dei, secundum religionem Christianæ vitæ, et etiam in remedium contra defectum peccati. Utrouque autem modo convenienter ponuntur septem sacramenta. Vita enim spiritualis conformitatem aliquam habet ad vitam corporalem, sicut et cætera corporalia, conformitatem quendam spiritualium habent. In vita autem corporali dupliciter aliquis perficitur. Uno modo quantum ad personam propriam; alio modo per respectum ad totam communitatem societatis, in qua vivit, quia homo naturaliter est animal sociale. Respectu autem sui ipsius perficitur homo in vita corporali dupliciter. Uno modo per se, acquirendo scilicet aliquam vitæ perfectionem. Alio modo per accidens, scilicet removendo impedimenta vitæ, puta, ægritudines vel aliquid hujusmodi. Per se autem perficitur corporalis vita tripliciter. Primo, quidem per generationem, per quam homo incipit esse et vivere. Et loco hujus in spirituali vita est baptismus, qui est spiritualis regeneratio, secundum illud ad Titum 3: Per lavacrum regenerationis, etc. Secundo, per augmentum, quo aliquis perducitur ad perfectam quantitatem et virtutem. Et loco hujus in spirituali vita est confirmatio, in qua datur Spiritus Sanctus ad robur. Unde dicitur discipulis jam baptizatis, Lucæ ult.: Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. Tertio, per nutritionem, qua conservatur

in homine vita et virtus. Et loco hujus in vita spirituali est Eucharistia, unde dicitur Joan. 6: Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Et hoc quidem sufficeret homini, si haberet et corporaliter et spiritualiter impassibilem vitam. Sed quia homo incurrit interdum et corporalem infirmitatem, et spiritualem, scilicet peccatum, ideo necessaria est homini curatio ab infirmitate. Quæ quidem est duplex, una quidem est sanatio, quæ sanitatem restituit. Et loco hujus in spirituali vita est poenitentia, secundum illud Psal. 40: Sana animam meam, quia peccavi tibi. Alia autem est restitutio valetudinis pristinae per convenientem dietam et exercitium. Et loco hujus in spirituali vita est extrema unctio, quæ removet peccatorum reliquias et hominem paratum reddit ad finalem gloriam, unde dicitur Jacobi 5: Et si in peccatis sit, dimittentur ei. Perficitur autem homo in ordine ad totam communitatem dupliciter. Uno modo per hoc, quod accipit potestatem regendi multitudinem et exercendi actus publicos. Et loco hujus in spirituali vita est sacramentum Ordinis, secundum illud Hebr. 7, quod sacerdotes hostias offerunt non solum pro se, sed etiam pro populo. Secundo, quantum ad naturalem propagationem, quod fit per matrimonium tam in corporali, quam in spirituali vita, eo quod non est solum sacramentum, sed naturæ officium. Ex his etiam patet sacramentorum numerus, secundum quod ordinantur contra defectum peccati. Nam baptismus ordinatur contra carentiam vitæ spiritualis; confirmatio, contra infirmitatem animi, quæ in nuper natis invenitur. Eucharistia contra labilitatem animi ad peccandum. Poenitentia contra actuale peccatum post baptismum commissum. Extrema unctio contra reliquias peccatorum, quæ scilicet non sunt sufficienter per poenitentiam sublata, aut ex negligentia aut ex ignorantia. Ordo contra dissolutionem multitudinis. Matrimonium in remedium contra concupiscentiam personalem et contra defectum multitudinis, qui per mortem accidit. Quidam vero accipiunt numerum sacramentorum per quamdam adaptationem ad virtutes et ad defectus culpæ et poenitentiam, dicentes, quod fidei respondet baptismus et ordinatur contra culpam originalem; spei extrema unctio, et ordinatur contra culpam venialem; charitati Eucharistia, et ordinatur contra poenitentiam malitiæ; prudentiæ Ordo, et ordinatur contra ignorantiam; justitiæ poenitentia, et ordina-

tur contra peccatum mortale; temperantiæ matrimonium, et ordinatur contra concupiscentiam; fortitudini confirmatio, et ordinatur contra infirmitatem.

Ad 1 ergo dicendum, quod idem agens principale utitur diversis instrumentis ad diversos effectus, secundum congruentiam operum. Et similiter virtus divina et passio Christi operantur in nobis per diversa sacramenta, quasi per diversa instrumenta.

Ad 2, dicendum, quod culpa et pœna diversitatem habent et secundum speciem, in quantum sunt diversæ species culparum et pœnarum, et secundum diversos hominum status et habitudines. Et secundum hoc oportuit multiplicari sacramenta, ut ex dictis patet (in corp. art.).

Ad 3, dicendum, quod in actionibus hierarchicis considerantur et agentes, et recipientes, et actiones. Agentes autem sunt ministri Ecclesiæ, ad quos pertinet Ordinis sacramentum. Recipientes autem sunt illi, qui ad sacramentum accedunt, qui producuntur per matrimonium. Actiones autem sunt purgatio, illuminatio et perfectio. Sed sola purgatio non potest esse sacramentum novæ legis, quod gratiam confert, sed pertinet ad quædam sacramentalia, quæ sunt Catechismus et Exorcismus. Purgatio autem et illuminatio simul secundum Dionysium (cap. 3 Eccl. Hierar., p. 1, circa fin.) pertinent ad baptismum; et propter recidivum secundario pertinent ad pœnitentiam et extremam unctionem. Perfectio autem quantum ad virtutem quidem (quæ est quasi perfectio formalis) pertinet ad confirmationem; quantum autem ad consecutionem finis, pertinet ad Eucharistiam.

Ad 4, dicendum, quod in sacramento confirmationis datur plenitudo Spiritus Sancti ad robur; in extrema autem unctione præparatur homo, ut recipiat immediate gloriam. Quorum neutrum competit veteri testamento; et ideo nihil potuit his sacramentis in veteri lege respondere. Nihilominus tamen sacramenta in veteri lege plura fuerunt numero, propter diversitatem sacrificiorum et ceremoniarum.

Ad 5, dicendum, quod contra concupiscentiam venerorum, oportuit specialiter remedium adhiberi per aliquod sacramentum. Primo quidem, quia per huiusmodi concupiscentiam non solum vitatur persona, sed etiam natura. Secundo, propter vehementiam ejus, qua rationem absorbet.

Ad 6, dicendum, quod aqua benedicta et aliarum consecrationes non dicuntur sacramenta,

quia non perducunt ad sacramenti effectum, qui est gratiæ consecutio. Sed sunt dispositiones quædam ad sacramenta vel removendo prohibens, sicut aqua benedicta ordinatur contra insidias demonum et contra peccata venialia, vel etiam idoneitatem quamdam faciendo ad sacramenti perfectionem et perceptionem, sicut consecratur altare et vasa propter reverentiam Eucharistiæ.

Ad 7, dicendum, quod oblationes et decimæ erant tam in lege naturæ, quam in lege Moysis ordinatæ, non solum in subsidium ministrorum pauperum, sed etiam in figuram; et ideo erant sacramenta; nunc autem non remanserunt in quantum sunt figuralia, et ideo non sunt sacramenta.

Ad 8, dicendum, quod ad deletionem venialis peccati non requiritur infusio gratiæ. Unde cum in quolibet sacramento novæ legis gratia infundatur, nullum sacramentum novæ legis instituitur directe contra veniale, quod tollitur per quædam sacramentalia, puta per aquam benedictam et alia huiusmodi. Quidam tamen dicunt extremam unctionem contra veniale peccatum ordinari, sed de hoc suo loco dicetur (non complevit morte præventus).

COMMENTARIUS.

1. D. Thomas in discursu articuli supponit fidei doctrinam, scilicet in nova lege (de illa enim sola, tota hæc quæstio intelligenda est) septem esse sacramenta, et non plura, nec pauciora. Quam ex principiis fidei non probat, sed congruentes rationes huius numeri sacramentorum affert. Quoniam vero non est in animo, de hac re propriam disputationem instituere, quia facilis est, et breviter in hoc commentario expediri potest, ideo prius veritas fidei stabilienda est, et deinde explicandæ congruentiæ, quas D. Thomas affert.

2. Error minuentium numerum sacramentorum. — Duobus ergo modis circa hanc doctrinam erratum est. Primo, per defectum, et hoc modo lapsi sunt hæretici huius temporis, ex quibus alii duo, alii tria, alii quatuor vel quinque sacramenta admittunt, ut constat ex Lindan. in fin. Panopl., et aliis recentioribus, et utuntur testimoniis sanctorum Patrum, qui, ubicumque sacramentorum mentionem faciunt, pauciora, quam septem numerant; August., epist. 118, in princ., de Christo et levi jugo ejus loquens, inquit: *Unde sacramentis numero paucissimis, observatione facilis, significatione præstantissimis societatem*

novi populi colligavit, sicuti est baptismus Trinitatis nomine consecratus, communicatio corporis et sanguinis ipsius, et si quid aliud in Scripturis canonicis commendatur; ac similia repetit lib. 3 de Doctrin. Christ., cap. 9; Ambros. etiam, in lib. de Sacram., tantum prædictorum duorum sacramentorum meminit, sicut et Cyrill. Hieros. in Catech., præsertim in tertia illuminatorum, et Justin. Martyr., Apolog. 2, pro Christ., in fine, et Tertullian., lib. 4 contra Marcion., cap. 34. Alii his duobus tertium addunt, scilicet Chrismatis seu confirmationis, ut ex Gregor. refert Gratian., in cap. Multi, 1, quæst. 1; Dionys. vero in lib. de Eccles. Hierarch., præter hæc tria solum quartum addidit, scilicet sacramentum Ordinis. Quintum vero, scilicet pœnitentiæ sacramentum adjunxit Cyprian., in serm. de Cœn. Dom.; nullus vero sanctorum Patrum alicubi septem numerat. Nec ex divina Scriptura colligi potest ille numerus, cum tamen D. August. primo loco supra citato dicat, ea tantum sacramenta Christum Ecclesiæ reliquisse, quæ in Scriptura canonica commendantur.

3. Error augmentium numerum sacramentorum. — Alius error esse potest per excessum, asserendo, scilicet, plura esse sacramenta, quam septem. In quem videntur aliqui Scholastici inclinasse asserendo dari plura sacramenta, quam septem specie distincta, ut, v. gr., plura sacramenta Ordinis, plura sacramenta Eucharistiæ, unum in pane, aliud in vino, vel unum permanens, aliud in usu consistens; vel plura etiam baptismata, unum aquæ, aliud sanguinis; martyrium enim, cum gratiam conferat ex opere operato, sacramentum esse videtur, de quibus opinionibus in propriis locis dicendum est; auctores enim earum cum Catholici sint, septenarium sacramentorum numerum confitendum esse docent, secundum tamen rationes genericas esse explicandum. Quod vero præter illa septem dentur alia, videtur sumi posse ex August., lib. 2 de Peccat. mer. et remis., cap. 26, ubi cibum sanctificatum, qui catechumenis dabatur, sacramentum appellat, et lib. 4 de Symbol., cap. 1, exorcismos, insufflationes et alia, quæ fiunt circa catechumenos, sacramenta vocat, et lib. 19 contra Faustum, cap. 14, baptismum, Eucharistiam et Crucis signum, inter sacramenta numerat. Basilius etiam, lib. de Spiritu Sancto, cap. 27, plura numerat sacramenta, quæ ex Apostolorum traditione Ecclesia retinet, et sacram habent significationem.

4. Concluditur septem esse sacramenta. — Doctrina vero catholica utrumque vitat extremum; et primo docet, septem esse a Christo Domino instituta sacramenta, quæ partim in Scriptura expressa sunt, partim insinuata et ab Ecclesia magis declarata. De baptismo habetur sermo Joan. 3 et 4, Matth. 28, ad Ephes. 4; de Eucharistia, Matth. 26, Lucæ 22, Marci 14, Joan. 6, et 1 ad Cor. 11; de Pœnitentia est clarus locus Joan. 20: *Quorum remiseritis peccata*, insinuatur vero 1 ad Cor. 5: *Dedit nobis spiritum reconciliationis*. De confirmatione fit mentio Actor. 8 et 19, ubi Apostoli imponebant manus super baptizatos, ut eis daretur Spiritus Sanctus. De Ordine præter verba Christi Matth. 26: *Hoc facite*, recte intelligitur locus ille 2 ad Timot. 4: *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*. De extrema unctione mentionem facit Jacobus in sua epist., c. 5: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ et orent super eum, ungentes oleo sancto*, etc. Denique de matrimonio ait Paul. ad Ephes. 5: *Sacramentum hoc magnum est*. Quæ testimonia in singulis sacramentis diligentius expendenda sunt; quædam enim, ut dixi, per se sunt satis clara, alia vero sine Ecclesiæ auctoritate et expositione non convincerent. Secundo ergo probatur ex traditione Ecclesiæ; nunc enim videmus in Ecclesiæ usu septem esse sacramenta, et communi catholicorum consensu omnia esse recepta, ut vera ac propria sacramenta a Christo instituta; sed hoc non est aliquid novum in Ecclesia, sed potius tam antiquum, ut præterita tempora usque ad Christum repetendo, nullum ejus initium, vel in aliquo Concilio, vel in alicujus Pontificis decreto reperitur; ergo signum est a Christo per Apostolos et eorum successores usque ad nos pervenisse. Propter quod hæc veritas tandem definita est in Concil. Florent. in decreto Eugenii, quam Græci et Armeni facile cum Latinis receperunt. Idem definit Concil. Trident., sess. 7, can. 1. Et in cap. *Ad abolendam*, de Hæreticis, damnantur, qui de Ecclesiæ sacramentis aliter sentiunt, quam Catholica Ecclesia Romana tradit, quæ in hac doctrina errare non potest, cum ad præcipua fidei fundamenta pertineat. Tertio, afferre possemus Patrum testimonia; sed quia, tractando de singulis sacramentis, ea fusius et diligentius afferenda sunt, nunc ad confirmandam hanc veritatem, pro quinque sacramentis, sufficiant ea testimonia, quæ obji-

ciendo in principio quæstionis adducta sunt; quibus statim alia addemus. Pro sacramento vero extremæ unctionis, est apertus locus apud Innocent. I, epist. 1, ad Decent., cap. 8, ubi loquens de oleo infirmorum, dicit, pœnitentibus infundi non posse, quia genus est sacramenti, *nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo putatur unum genus posse concedi?* Citari etiam potest August., epist. 119, cap. 7, ubi inter materias sacramentorum, oleum ponit præter aquam, panem et vinum. Atque eodem modo scribit Tertull., lib. 4 contra Marcion., cap. 44, qui hoc etiam sacramentum videtur indicasse lib. de Resur. carn., cap. 8, dicens: *Caro ungitur, ut anima consecratur;* et lib. 4 de Præscript. adversus hæret., cap. 41, in illo verbo: *Quæ audeant curationes repromittere,* ut ibi notat Pamel., et de hoc argumento plura Patrum testimonia congerit. Tandem pro sacramento matrimonii afferri potest August., lib. de Bono conjug., cap. 18, ubi sacramentum nuptiarum, illud appellat. Et eodem modo loquitur, lib. 4 de Nupt. et concupisc., cap. 10. Et plures alios refert Pamel. in scholiis ad Tertull., lib. de Præscript. hæret., cap. 40, num. 248, et specialiter affert Pet. Damian. in serm. 4 de Dedic. Eccles., ubi septem numerat sacramenta, quæ alii separatim recensent.

5. *Nullus ex Patribus septem sacramenta negavit, quamvis alii alia aliquando tacuerint.* — Unde intelligitur, nullum argumentum in contrarium sumi ex eo, quod sancti Patres quædam sacramenta alicubi numerant, aliis prætermisissis; nam aliud est tacere, aliud negare seu excludere aliquod ex prædictis a numero sacramentorum; hoc posterius in nullo sanctorum Patrum reperitur; illud autem prius nihil obstat, quia nec necesse est omnes ac singulos Patres de omnibus sacramentis scripsisse, et multo minus necessarium est, ut in omnibus locis, ubi aliquorum incidit sermo, omnia commemorarent; interdum enim specialis occurrit occasio scribendi aut loquendi de quibusdam et non de aliis; nonnunquam vero gratia exempli quædam ponuntur, quæ celebriora sunt, ut facile intelligetur breviter discurrendo per singulos in principio citatos. Augustinus enim in illis locis in exemplum adduxit duo sacramenta, non vero excludit alia, cujus signum postea adjunxit. Quod etiam observavit conc. 4 in Psalm. 103, circa illa verba: *Qui tegis aquis superiora ejus. Respice (inquit) ad munera Ecclesiæ,*

munus sacramentorum in baptismo, in Eucharistia et in cæteris sanctis sacramentis? Quorum ipse aliis locis specialem mentionem facit, ut sacramenti Chrismatis, lib. 2 contra litter. Petil., cap. 104; et Ordinis, lib. 2 contra Parmen., cap. 13, et lib. 4 de Baptism., cap. 4; et pœnitentiæ, in toto lib. de Ver. et fals. pœnit., et enarratione in Psalm. 146, circa illa verba: *Qui alligat contritiones eorum.* Cyprian. vero in eo serm. de his tantum sacramentis scripsit, quæ ipse credit fuisse a Christo in nocte cœnæ instituta. Justinus vero ad Gentes sermonem habens, eorum tantum sacramentorum rationem reddidit, quorum notitia seu fama ad eos magis pervenerat, quia sunt in frequentiori usu fidelium, et quia specialiter illa duo sacramenta adhibita semper fuere in ritu et modo initiandi eos, qui ad fidem convertuntur. Propter quam causam, ubi sancti Patres de initiandis fidelibus scribunt, horum sacramentorum specialem mentionem faciunt, ut videre est apud Tertullian., lib. 4 contra Marcion., cap. 34; interdum vero addunt etiam confirmationem, quia hoc sacramentum statim post baptismum et ante Eucharistiam conferri solebat, quando Episcopus aderat, qui est ordinarius minister illius sacramenti, quod significavit Cyprianus, epist. 70, et Hieronymus, dial. contra Lucifer., ante medium, dicens: *An nescis, hunc esse Ecclesiæ morem, ut baptizatis postea manus imponantur, et invocetur Spiritus Sanctus? exigis ubi scriptum sit? in Actibus Apostolorum. Et etiamsi sacræ Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret.* Quæ postrema verba contra hæreticos hujus temporis valde notanda sunt. Ex hoc modo intelligi potest, locutum fuisse Gregorium in dicto capit. Multi, quamvis solum gratia exempli, illorum trium sacramentorum mentionem ibi fecisse videatur. Dionysius denique non assumpsit provinciam explicandi omnia sacramenta, sed Ecclesiasticam Hierarchiam describendi; et ideo solum disputat de actibus hierarchicis, qui publico et solemni ritu fiunt, ut sunt solemnis administratio baptismi, confirmatio, Ordo et Eucharistiæ sacrificium; de aliis vero ibi mentionem non fecit, quia intentioni ejus nihil deserviebant. Atque eodem modo Raban., libro de Institut. cleric., prætermisso matrimonio, de aliis disputavit, quia solum agebat de his, quæ ad clericos per se possunt spectare.

6. *Non esse plura, quam septem sacramenta*

definitur. — *Septem esse sacramenta secundum species ultimas, probabilius.* — Secundo fides Catholica docet, non esse plura sacramenta, quam hæc septem. Hanc veritatem insinuaverat Concil. Florent. expressius vero eam definiuit Trident., sess. 7, canon. 4 de Sacram. in genere. Fundatur autem in Ecclesiastica traditione, quæ docet, Christum illa septem instituisse et non plura. Dices: ex Scriptura sacra vel traditione Ecclesiæ non constat quidem Christum instituisse plura, hinc tamen non potest inferri, tanquam de fide certum, Christum non instituisse plura, quia est argumentum ab auctoritate negativa, quod ex suo genere infirmum est. Respondetur, Concil. Trident. non solum tacuisse plura, sed positive docuisse ac definitivè non esse plura, quod non tantum collegit ex auctoritate negativa, sed tacite ita interpretatur Scripturam et Ecclesiasticam traditionem, quod nimirum, docendo prædictum septenarium numerum, quemcumque alium majorem negaverit, quod in aliis fidei dogmatibus observare licet. Quando enim Scriptura docet, in Deo esse tres personas, hoc ipso intelligitur, negare esse plures, etiamsi expressius non dicat. Et similiter, cum affirmat, Filium factum esse hominem, intelligitur negare alias personas esse incarnatas, etiamsi hoc amplius non declarat. Ad exactam enim mysteriorum fidei cognitionem et sinceram veritatem utrumque necessarium est; et ideo in tali definito numero, intelligitur præscindi et excludi major numerus. Denique alias liberum fuisset unicuique fingere nova sacramenta sine fundamento, asserendo, ea fuisse a Christo instituta, quod esset valde perniciosum Ecclesiæ. Quapropter non solum de fide est, esse in Ecclesia septem sacramenta generatim et confuse, sed definite illa septem, quæ Concilia numerant, scilicet baptismum, etc., quæ intelligenda sunt cum ea proprietate, quæ juxta communem usum et sensum Ecclesiæ recipiuntur; ut, verbi gratia, nomine baptismi intelligendus est baptismus aquæ sub tali forma administratus, quia hoc intelligit communiter Ecclesia nomine baptismi absolute dicti. Unde fingere aliud genus baptismi, quod sit verum sacramentum, contra hanc esset definitionem; et ideo nullo modo affirmari potest, martyrium, quod per metaphoram quamdam dicitur baptismus sanguinis, esse sacramentum; quomodo autem in eo gratia conferatur, infra dicemus. Atque idem observandum est in cæteris sacramentis. An vero

illa septem sacramenta sint septem species ultimæ vel solum sint septem capita, ad quæ omnia Ecclesiæ sacramenta reducuntur, sive illa sint specifica sive generica, in hoc nihil est de fide definitum; quamvis probabilius sit, omnia esse ultimas species sacramentorum; nam si qua est varietas vel multitudo, tota ordinatur ad unum integrum ac perfectum sacramentum perficiendum, ut de Ordine et Eucharistia suo loco dicemus. Ultimo est in hac conclusione considerandum, sermonem hic esse de propriis ac perfectis sacramentis; sic enim Concilium Trident. definiuit, quodlibet horum septem esse vere et proprie sacramentum. Quando vero sancti Patres alios ritus vel cæremonias sacramenta vocant, loquantur de sacramento in lata significatione, prout quodlibet signum sacrum, sub quo mysterium aliquod latet, dici solet sacramentum, ut ex dictis in principio hujus materie constat. Et hactenus de doctrina fidei.

7. *Quare non sint plura, quam septem.* — Superest, ut rationes seu congruentias, propter quas septem sacramenta, et non plura, neque pauciora nobis data sunt, explicemus. Prima et valde recepta est illa, qua usus est hic D. Thom., et 4 contra Gent., cap. 58, quamque Concilium Florentinum amplexum est, et sumpta est ex proportionem inter corporalem et spiritualem vitam; nam finis sacramentorum est vita spiritualis animarum, et ideo ex necessitate vel utilitate finis recte sumitur sacramentorum numerus; necessitas autem ex parte hujus finis recte per dictam proportionem explicatur. In corporali enim vita, quædam sunt necessaria singulis personis, quædam universæ toti naturæ. Rursus priora quædam sunt per se requisita ex intrinseca constitutione naturæ, alia ex accidenti. Per se namque primum necessaria est productio seu generatio; deinde augmentum usque ad perfectum et virilem statum; tertio, nutritio continua ad conservandum corpus; quarto, ex accidenti propter occurrentem corporis ægritudinem necessaria est medicina, quæ vim habeat curandi corpus et expellendi morbum; quo expulso quinto necessarium est aliquod remedium, ut convalescat corpus et amissas vires recuperet. Præter hæc vero ad conservationem et gubernationem totius naturæ necessaria est potestas propagandi genus humanum per conjunctionem maris et feminae licitam, et convenienti modo factam, et potestas gubernandi rempublicam et continendi homines in officio ac